

nostrarum ecclesiarum, quam contra Deum et canonum instituta inretire nisus est. Sed quia minime a vestra saluberrima pietate iudicari maluit, Mantuae quoque sugessit causa finienda. Nos vero ad imperialia vestigia pervenientes ipsum paratum non invenimus. Expectare enim eum nos augustus monuit, cui nos suam epistolam ostendimus, per quam dudum praeceperat, ut apud sanctam apostolicam sedem rei finis poneretur. Nam et vocem fecimus, ut utrum ille veniret an non, nullatenus de his alicui responsum darem, nisi coram vicario beatissimi apostolorum principis Petri, in cuius sorte vobis a Christo Deo nostro ligandi solvendique potestas incumbit. Verum si provinciales et suffraganei eius causam determinassent, impletur in his illud Apostoli dictum, quod ait: « Omnes quaerunt quae sua sunt, non quae Iesu Christi » (*Phil. 2, 21*). Iustum namque est, ut qui omnibus preest, omnes iudicet. Nullum enim iam Dominus per pura curricula ecclesiae suae sanctae tam honestum, quamque sobrium pudicumque, ac iusti moderaminis aequum largire dignatus est, quam te, beatissime praesul, quem nullus a recto tramite deviare potest, non principum favores, non subditorum variae suggestiones. Petri namque solium tenens, Petri in mente virilitatem gestas, et digne tempore, quo magna instabat causa finienda, magnanimum pontificem Christus eligeret universorum. Nam et ipsi mundi principes nec praesumentes neque volentes usque hactenus ista contingere, sed tuo sacro reservavere iudicio, quamvis quorundam subditorum oculos munitura obscurassent, qui hanc argumentantur et contra rationem vincere moliuntur. Nunc autem, sicut cognovimus, gloriatur se idem Maxentius palam per praeceptum domini imperatoris diocesim Istriensium habere, et ipsi electi post octavas paschae praeparant se ad ordinationem. Et hoc, qualiter absque iudicio factum fuerit, ignoramus; maxime cum voce clamoris, quia in vos omnem spem reclinatam habemus, et credimus, quia non confundimur, quam videlicet nostra imminetia dignum duximus per hos apices ad vestram ferre celsitudinem postulantes nimiumque obsecrantes, ut tutor et defensor noster